et fiendis in futurum, attribuimus, damus, conferimus et donamus eisdem Ciuitati et Ciuibus cum ipsorum successoribus in perpetuum tenendam, possidendam pariter et habendam, et ad vsus beneplacitos Ciuitatis predicte conuertendam, iuxta quod ipsis et eorum successoribus videbitur vtilius et commodius expedire. In cuius rei testimonium et euidenciam clariorem presentes scribi et nostri sigilli munimine mandauimus roborari. Actum Cracouie, die sancte et indiuidue Trinitatis, Anno domini Millesimo trecentesimo quadragesimo. Presentibus his testibus: domino Hermano archidiacono Lanciciensi et nostro procuratore generali, Iascone subcamerario, Clemente gladifero, Stascone subagazone, Cracouiensibus, Mstugio herede de *Sedlissowicz* et alijs quam pluribus fidedignis. Datum per manus domini Segnei prepositi sancti Michaelis in castro Cracouiensi et vicecancellarij curie nostre.

[1]) Z kopii zamieszczonej w rękopisie Bibl. Jagiel. krak. N. 136 na str. 3.

[2]) *Bawół,* wieś dziś już nieistniejąca. Leżała ona po stronie wschodniej i południowej Kazimirza, i na jej gruntach część Kazimirza stoji. Na południe rozciągała się ta wieś poza dawne koryto rzeczki *Wilgi*, dzisiejsze nowe koryto *Wisły*, i graniczyła z wsiami *Zabłociem, Wolą* i *Łagiewnikami.*

XXV. 1342. die 13. mensis Octobris, Cracoviae.

Casimirus dictus Magnus rex Poloniae, quaedam instituta et leges civitatis Cracoviensis approbat [1]).

IN nomine domini Amen. Ea que cupiunt stare in statu solido, litterarum attestatione et testium subscriptione fiunt firmiora. Ideoque Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, et Terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomoranieque dominus et heres, Vniuersis presentibus et futuris tenore presentium esse volumus manifestum, Quod ad instantiam fidelium nostrorum Consulum et Seniorum Ciuitatis nostre Cracouiensis, cupientes commune bonum non minui sed augeri, Ad vtilitatem rei publice et profectum, necnon pro bono communi omnium Incolarum vtriusque sexus Ciuitatis nostre Cracouiensis supradicte, Constituciones seu Arbitria, statutaque infrascripta bona deliberacione maturoque Consilio prelibato presentibus ratificantes confirmamus, Volentes ipsa ab omnibus eiusdem Ciuitatis nostre predicte Incolis in posterum perpetue, firmiter et inviolabiliter obseruari. Que Statuta, Constituciones atque Arbitria predicta scribuntur in hec verba. Si contingeret, quod homo ita infirmus efficeretur, quod timendum esset de vita sua, vel si proponeret visitare limina sanctorum aut recipere se ad vias longinquas, vel vltra mare, Ille potest coram tribus Consulibus eligere tutores vnum uel plures pro pueris suis, vel pro propinquioribus suis amicis, qui etatem non haberent, et pro omnibus suis rebus mobilibus et inmobilibus, quemcumque voluerit, siue sint amici vel Extranei, et hij debent habere plenam auctoritatem et posse, sicut ad hoc essent nati; Et quod idem infirmus sit circa bonam racionem. Et si propinquiores illius vellent

hoc destruere, non possunt, quousque pueri perueniunt ad Annos quindecim. Sed si femellam infra istos Annos nubere contingeret, tunc Maritus eius ipsius tutelam accipiet hoc statuto non obstante. Item nullus infra Muros Ciuitatis vendere debet vel emere aliquem Censum super hereditates, quem velit aut possit hereditarie possidere. Quicumque emit hereditatem et possidet eam Anno et die sine iusta allocucione, is eam libere debet possidere et optinere ex parte omnium in Ciuitate existencium, siue sint Iuuenes, siue senes. Quicumque Ciuis vel Mercator, exceptis dumtaxat nobilibus terre nostre, fuerit proscriptus, et si in illa proscripcione caperetur et vinceretur quod fuerat proscriptus, Ille iudicari debet secundum formam iuris, ita tamen, quod cum testibus non conuincatur. Quicumque luserit vltra vnum fertonem siue sint Ciues, siue Mercatores, cum taxillis siue Globis, soluat Vnam Marcam Ciuitati pro emenda. Si quemquam eciam contingeret sicuti proch dolor pluries euenit, quod vnus in die vel in nocte wlneraretur aut occideretur, habens wlnus apertum et manifestum, et Scabinos habere non posset propter tempus nocturnum, Ille debet ad aduocatum ire et manifestare ei molestiam suam, et cras ante meridiem habebit tam bonum Ius, acsi in nocte querimoniam fecisset; et hoc ideo sit, quod Scabini, qui noctis tempore surgere de lectis ipsorum deberent, in nullo molestentur. Quicumque hospitum adducunt pannos, illos vlterius vendere non debent alijs hospitibus, nisi in die forensi, et non debent pauciores simul vendere, quam Sex pannos flandrenses. Et istos pannos non debent alias vendere, quam in Cameris pannorum. Eciam nullus debet vendere Stamen integrum, quod homines vellent incidere et diuidere inter se hic in Ciuitate, nisi pannicide. Ab isto articulo nobiles terre nostre et kmetones eorum sint exclusi. Item volumus, statuimus et decernimus in presentibus, quod quilibet hospes debet vendere propria stamina sua et non aliena. Cuicumque hereditas obligata fuerit, ille debet eam seruare et non vendere, nisi Anno et die expirato. Si contingeret aliquam dissensionem inter Ciues fieri, et quicumque incederet Ciuis vel hospes armatus post hoc, et nollet Iure causam suam repetere, Arma illorum debent fore Ciuitatis. Insuper quilibet armatus pro pena soluet vnam Marcam, et hoc debet conuerti pro emenda Ciuitatis. Etsi Consules sederent in loco solito et consueto, et aliqua secreta coram eis agerentur, quod hec tantam vim et talem vigorem haberent, ac si coram Iudicio bannito fierent vel fuissent facta. Vt autem hec confirmacio nostra fima et inviolabilis temporibus perpetuis perseueret, Ad huiusmodi euidenciam rei pleniorem, presentes litteras fieri et Sigilli nostri munimine iussimus roborari. Actum Cracouie, die dominica proxima ante festum Sancti Galli, Anno domini M°. CCC°. XL°. secundo. Presentibus hijs Nobilibus nostris: Spicimiro Castellano Cracouiensi, Mstugio Sandomiriensi, Ymrammo Cracouiensi, Palatinis, Petro Sandomiriensi, Andrea Wisliciensi, Castellanis, Iohanne Iudice Cracouiensi, Iohanne Cracouiensi, Henrico Sandomiriensi, Subkamerarijs, et alijs pluribus fidedignis. Datum per manus Segnei propositi sancti Michaelis et Vicecancellarij Curie nostre.

[1]) Oryginał pargaminowy, opatrzony dwustronną pieczęcią wielką, zawieszoną na sznurku z zielonego i pąsowego jedwabiu. Pieczęć wielka okrągła, w zwykłym wosku wyciśnięta, przedstawia z jednej strony pieczęć majestatową króla Kazimirza, z drugiej strony tegoż pieczęć wielką państwa. (Obacz Żebrawskiego Zesz. I, Tab. 13 i 14, N. 32 i 33).

XXVI. 1352. die 4. mensis Aprilis, Cracoviae.

Elisabeth de Dornburg coenobium sacratarum virginum de Dornburg dictum, Cracoviae situm, consulibus Cracoviensibus regendum committit [1]).

Nouerint vniuersi presencium noticiam habituri, Quod Sub Anno domini Millesimo CCC° L° Secundo, feria quarta post dominicam Ramispalmarum, Iudicium fuit Bannitum per Aduocatum Nicolaum Ameley et per Septem Scabinos: Petrum Scriptorem, Casslonem de Oppauia, Iohannem Hubischspetke, Pesconem de Sale, Nicolaum de Ponte, Nicolaum in Valle atque Nicolaum Spiczimiri. Coram quo Iudicio deuota domina Soror Elyzabetht de dornburg, Cum Tutore suo Iohanne Scriptore, domum suam et conuentum Monialium de dornburg dictum, fundamentaliter in conthrata contra Monasterium fratrum predicatorum sitam, ipsi Sorori ex successione parentum ac legittima deuolucione innatum, ac in sua parte Cum eadem domo a ceteris vterinis suis penitus ac libere sequestrata, Dominis Consulibus Cracouiensibus, qui sunt et pro tempore fuerint, donauit, Resignauit, contulit et legauit sub condicionibus infrascriptis, videlicet, quod in vita et post mortem prenominate Sororis Elyzabetht Eadem domus debebit esse Sororum ac Monialium deuotam vitam ducencium, deo omnipotenti sedulis suis oracionibus ac ceteris earum beneficijs ad vota seruientium, perpetuis temporibus Collegium et Conuentus in animarum memorate Sororis Elyzabetht Patris ac Matris aliorumque parentum suorum predecessorum ac successorum salubre remedium et salutem. Addicendo eo tempore, quo vita ipsi Sorori Elyzabetht comes affuerit, predicti conuentus debebit esse Rectrix ac in omnibus Regulatrix; Qua vero de hoc medio sublata, domini Consules Ciuitatis predicte Cracouiensis debebunt esse Eiusdem conuentus Tutores, ipsumque Singulis articulis ac euentibus protegere in omnibus et fouere. Nichilhominns, quod idem conuentus in vniuersis contribucionibus subiacere debeat iuribus Ciuitatis. In Cui (s) Rei Testimonium Sigillum Scabinorum Cracouiensium presenti pagine est appensum. Actum Cracouie Anno et die, quibus supra, presentibus Testibus prenotatis.

[1]) Oryginał pargaminowy, niegdy opatrzony pieczęcią, snać na sznurku zawieszoną, której dziś nie dostaje.